

**3. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, December 18, 2012, Prot. N. 47312/12 CA—Revocation of faculties—Need for just cause—Requirement to observe natural equity—More serious acts contrary to ecclesiastical discipline constitute just cause—Attempted Eucharistic communion and active participation in kind of ordination rite are such acts—Challenged decree is not penal**

---

Prot. N. 47312/12 CA

*Revocationis facultatum*

(Rev.dus N.—Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Rev.dus N., sacerdos Dioecesi X incardinatus, die 7 septembris 2004 officium cappellani valetudinarii in Ordinariatu militari Y explere coepit.

Die 11 decembris 2011 Rev.dus N. cuidam ritui ordinatorio ministelli communitatis ecclesialis Lutheranorum interfuit, communionem recepit et manus imposuit. Obtentis denuntiationibus, Exc.mus Episcopus Auxiliaris eiusdem Ordinariatus Militaris a Rev.do Recurrente exquisivit utrum denuntiatio vera esset, necne.

Responsione non contentus, Exc.mus Episcopus Auxiliaris die 27 decembris 2011 facultates Rev.di Recurrentis et ecclesiasticum consensum revocavit: "I am removing your Ecclesiastical Endorsement and Faculties immediately. You may no longer exercise public ministry within this Diocese."

Recepto die 12 ianuarii 2012 decreto, Rev.dus N. die 24 ianuarii 2012 ab Exc.mo Ordinario Militari eius revocationem expetiit, ac, petitione reiecta, die 27 ianuarii 2012 primum recursum ad Exc.mum Nuntium Apostolicum, die autem 15 februarii 2012 ad Congregationem pro Clericis interposuit.

Tempore pro decisione recursus, invocato art. 136 Ordinationis generalis Romanae Curiae, dilato, Congregatio tandem die 5 septembris 2012 recursum reiecit, quam adversus reiectionem Rev.dus N. die 2 novembris 2012 ad H.S.T. provocavit.

Actis a Congregatione expetitis iisque die 28 novembris 2012 receptis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examinata;

Praemisso quod:

—Recitat can. 271, §3: "Clericus qui legitime in aliam Ecclesiam particularem transierit propriae Ecclesiae manens incardinatus, a proprio Episcopo dioecesano iusta de causa revocari potest, dummodo serventur conventiones cum altero Episcopo imitae atque naturalis aequitas; pariter, iisdem condicionibus servatis, Episcopus dioecesanus alterius Ecclesiae particularis iusta de causa poterit eidem clerico licentiam ulterioris commorationis in suo territorio denegare;"

—Quae norma iuxta probatam doctrinam etiam Ordinarius militares respicit, et proinde Exc.mi Ordinarii militaris agnoscit facultatem ad normam iuris denegandi licentiam seu consensum ulterioris commorationis et exercitii ministerii sacerdotalis intra fines suae iurisdictionis, «iusta de causa» et «naturali aequitate servata» (cf. Decretum definitivum coram Herranz, diei 22 novembris 2008, prot. n. 39226/06 CA, n. 2);

Perpenso quod actus graviores disciplinae ecclesiasticae adversi, uti attentata communio eucharistica (cf. art. 132 *Directorii Oecumenici*) et participatio activa in quodam ritu ordinatorio, iustam causam de qua supra constituunt;

Perspecto relate ad aequitatem naturalem quod Rev.dus Recurrens de facto solummodo aliquot menses post decretum Exc.mi Episcopi Auxiliaris salarium amisit;

Relate ad assertas violationes legis in procedendo animadverso quod:

—Decretum impugnatum non est poenale, quin excludatur, si et quatenus, processus poenalis instituendus;

—Normae de processu poenali itaque servandae non erant;

Cum proinde non appareat ullum indicium violationis legis sive in procedendo sive in decernendo;

Praetermissis omnibus aliis forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, §1 *Legis propriae* H.S.T.,

**decrevit:**

**Recursum in limine reiendum esse et facto reici ob evidentem defectum fundamenti.**

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra preemtorium decem dierum terminum ab eodem recepto (cf. art. 76, §3 *Legis propriae* H.S.T.).

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 18 decembris 2012

✠ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.  
Archiepiscopus tit. Bitensis  
Secretarius

MARIUS LEITE DE OLIVEIRA  
Vices Praepositi Cancellariae agens